





*P. G. S. 10*  
Pub. 5. num. 20.  
*1730, 34.*

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IVRIDICA SOLENNIS  
DE  
**MODIS FINIENDI  
SVPERIORITATEM  
TERRITORIALEM**  
QVAM  
PRO OBTINENDIS  
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS  
ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIICIT  
**M. IOAN. HENRICVS a SEELEN.**

---

D. XXIX. IVN. ANNO M DCC XXX.

---

LIPSIAE  
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.



DIESER TATTO IARHICIA SOLLENS

MODIS FINENDI  
SUPERIORITATI  
TERITORIALEM

SUMMIS IN LATE MONSIBUS

N IOAN HENRICVS A SERTIN

PLIPSIA

1580. 1581. 1582. 1583. 1584.

V I R O  
EXCELLENTISSIMO ATQVE CONSVL-  
TISSIMO DOMINO

D O M I N O  
I A C O B O A V G V S T O  
F R A N C K E N S T E I N  
IVRE-CONSVLTO CELEBERRIMO

S E R E N I S S I M O P R I N C I P I A N H A L T I N O -  
S E R V E S T A N O A C O N S I L I I S A U L A E  
E T R E G I M I N I S

P A T R O N O A C P R A E C E P T O R I S V O  
O M N I H O N O R I S A T Q V E O B S E Q V I I  
C V L T O P R O S E Q V E N D O

PRO V  
SINGVLARI FAVORE  
PROQVE  
IN SIGNIBVS BENEFICIIS  
OMNI OCCASIONE IN SE COLLATIS  
VT  
GRATVM BENEFICIORVMQUE MEMOREM  
ANIMVM  
ALIOVA RATIONE DECLARARET  
HANC DISSERTATIONEM  
SVBMISSÆ OFFERT  
EIVSQVE PATROCINIO ET FAVORI ULTE-  
RIORI SE COMMENDAT  
IOANNES HENRICVS A SEELEN.



# CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. *Introitus.*

§. II. *Superioritatis Territ. Defin. eiusque explicatio.*

§. III. IV. V. *Quae continuatur.*

§. VI. *Superioritatis Territ. Diuisio.*

§. VII. *Superioritatis Territ. effectus.*

§. VIII. *Transitus ad Thema.*

§. IX. *Finitur Sup. Terr. Morte.*

§. X. 2. *Extinctione Familiae.*

§. XI.

§. XI. 3. *Alienatione.*

§. XII. 4. *Abdicatione seu refutatione.*

§. XIII. 5. *Mutatione religionis.*

§. XIV. 6. *Praescriptione.*

§. XV. 7. *Abdicatione.*

§. XVI. 8. *Exemptione.*

§. XVII. 9. *Incorporatione.*

§. XVIII. 10. *Interitu territorii.*

§. XIX - XXIII. de *Delictis Principum  
corumque Poenis.*



§. I.

**D**gregia esse Superioritatis territorialis Iura nemo inficias ibit, qui primoribus tantum labris Iurisprudentiae publicae doctrinam attigerit. Tot extant de hisce Iuribus eximiis Dd. Commentationes, ut crambem biscoctam apponere videatur, qui eorum traditis aliquid addere velit. Licet autem Iura ista ad nauseam usque tradita fuerint, neminem tamen, quod certe miror, inuenire potui, qui speciatim modos Superioritatem Territorialem finiendi, in schediasmate quodam una vice compilatos illustrauerit. Qua de causa non irritum labore me suscepimus putauit, si, quantum per vires licet, in modos quibus Superioritas territorialis amittatur, paulo penitus inquirerem.

§. II.

Quod in regnis nomine Iurium Maiestatis venit, in Germania nostra elogio superioritatis territorialis certo tamen modo insigniri solet. De differentia inter iura Maiestatica & Superioritatem Territorialem

rialem, conf. elegans responsum Gall. Regi Ludouico XIV. ab OBRECHTO quondam deuote transmissum in *Laguille Histoire d'Alsace P. III.* p. 175. Superioritatis Territorialis igitur nomine intelligo potestatem summam exercendorum Regalium Statibus Imperii proprio nomine in territoriis suis vi legum fundamentalium competentem. Clara sunt atque perspicua, vti opinor definitionis verba; vt autem obiectionibus, quibus nihilominus obnoxia fieri possit, in primo statim lamine occurram, paulisper, ne extra cancellos vagari videar, eam sub disquisitionem vocabo. Summa igitur est potestas, quam Statibus Imperii tribui, atque pro ea facit praesumtio, donec restrictio doceatur, quae vel ex lege, cui Status Imperii se subiecerunt, vel ex pactis, tum cum subditis, tum cum aliis initis, prouenire solet. (a) Ita vt idem in territoriis suis Status Imperii possint, quod Caesar in toto Imperio, imo aliquando plus quam Caesar ipse, cuius exemplum videre licet in libero Religionis exercitio; vnde regulam illam cum grano salis applicandam censem.

(a) Iure igitur Elector Brandenburgicus in literis ad Foederati Belgii Ordines d. 28. Nov. 1662. in *Diar. Eur. P. IX. p. 536.* conqueritur, das ihm, als einen freyen und souverainen Reichs-Fürsten in seine undisputirliche Reichs-Hoheit und Souverainität mit bewehrter Hand Eintrag gehan worden.

### §. III

Quod autem ipsum Regalium exercitium attinet, illud diuerso tempore se exferit, siue enim tempora sunt quieta, siue turbulentā, i. e. siue pacis siue belli. Tempora si quieta sunt, leges condunt, Magistratus constituant, belli autem temporibus iure armorum gaudent, bellum indicunt; et pacem pan-

gunt,

gunt, quamvis nec pacis tempore ista semper intermittantur, cum in media pace de bello sit cogitandum. Hoc autem exercitio licet aliquando Status Imperii abstineant, minime tamen inde existimandum, ac si eodem prorsus destituantur; Etenim multae subesse possunt caussae, cur non in actum ducatur; ita cuius in territorio nullae sunt metalli fodinae, Ius etiam hoc exercere nequit. Porro ob defectum viuum, multi Statuum Imperii ad summam rerum, quae in Europa geruntur, nihil aut parum conserunt, v. HORN. *Ipd. Publ. c. 49. §. XI.* circa quos non Ius sed exercitium iurium deesse videbis, vid. FVRSTINERIVS (sive Leibniz) *de Iure Suprematus*; vnde Potentatus vox orta fuit, qua Status potentiores ab aliis distinguuntur, vid. LYNCKER in *Diss. de Potentatu*. Sed haec distinctio nullum fundamentum habet in Legibus fundamentalibus, imo est contra Art. VIII. *Instr. P. Westph.* vbi aequaliter omnes iisdem iuribus gaudent, licet ea non exerceant.

## §. IV.

Plerique Statuum Imperii Superioritate territoriali sunt praediti, vnde consecutuum naturale Status eandem appellare consueuerunt, vid. HORN. *I. c. c. 22. §. 7.* et pauci deprehenduntur in insigni Statuum numero, qui ista actu non polleant, nisi territorio immediato defititos hoc referas, quamvis territorii nomen vix sustineant, quod haud est immediatum. Sed an etiam a Superioritate territoriali ad Statuum Imperii valeat consequentia, merito dubito. Alias enim sequeretur, Nobiles Imperii immediatos eodem iure Statuum Imperii gaudere. Non in praesenti

A 3

quidem

quidem litem meam facio, quam Dd. mouere solent, circa superioritatem territorialem, Nobilium immediatorum; ex mea tamen sententia iis eam denegare, nisi terminis cumulandis aut ad inueniendis scrupulosius inhaerere vellem, piaculum duco. Exstant expressa verba in *Instrumento Pacis*, eiusdemque Art. V. §. 28. vbi iis Ius circa sacra aliqua Iura territorii passim tribuuntur, ac licet ex S TRV VII sententia S. I. P. XXVIII. §. 5. iuribus sane eximiis, non tamen iure Legum condendarum, Armandiae, conscribendi milites, aliisque fruantur, haud tamen negligenda sunt, quae supra monui, Superioritatem Territorialem non omnibus aequali competere. conf. TITIVS in Specim. Iur. Publ. III. 5. 16. et FELZ in Diatr. Iur. de Superioritate Territoriali Nobilium immediatorum.

## §. V.

Exercent autem Status Imperii Superioritatem territorialem Iure proprio. Tempora Carolingica si respicias, invenies, tunc temporis omne Ius Statuum Imperii fuisse veluti precarium, et a voluntate Imperatoris dependens, deficiente vero potentia Imperatorum ex stirpe Carolingica partim ob diuisionem Ludovici Pii, partim ob minorenitatem Ludouici Infantis et demum ipsa extinta tota familia Carolingica, effatum fuit, ut Duces Prouinciarum nanciscerentur posttestatempriori longe maiorem. Quae potestas deinde semper aucta fuit, donec tandem in hanc libertatem excreuerit, quam hodie conspicimus. Nihil addam de Iure, quo sibi hanc libertatem vindicauerint, cum neminem senioribus Iuris Publici vniuersalis Principiis imbutum haec in dubium vocare sciam. Nec de eo dubitandum, cum enim Proceres ere sua putarent, de-

nuo

nuo sub uno capite sociali foedere se se iungere, credendum etiam, eos ante regni delationem nouo electo exposuisse, quo obsequii genere ipsi cuperent esse obnoxii; Quandoquidem in manu eorum situm erat, vel lentne more maiorum in varias discedere Respublicas, an vero Systema Regno Heroico temperatum constitueret, vid. COCCEIVS in *Ipd. Publ. c. 15.* §. 43. THOMASIVS de Feud. oblat. §. 24. STRVV Synt. Iur. Publ. c. 26, §. 15. Complexum autem omnium horum Iurium confirmat *Instr. Pac. art. 8.* §. 1. 2. conspirante cum *Instr. Pac. art. 1.* *Capitulationis nouissimae.* Nec illa superioritas propria per inuestituram Caesaream Statibus confertur, sed tantum solenniter confirmatur, adeoque vere beneficiaria aut precaria non est, vid. TITIVS *l. c. 41.* 4. 12. Dum autem vterius in definitione allata posui, Superioritatis territorialis Iura se se tantum exserere in terris Principum, non eorum vim quoad exterios in dubium voco, nec inficias eo, ea quam maxime in Comitiis aliquaque Convictibus conspici, v. TITIVS *l. c. III.* 4. 21. Restrictionem autem Superioritas Territorialis quandoque patitur ex legibus fundamentalibus, ex quibus merito dijudicanda venit, ita potissimum in eo mili ei videatur restrictio, quod quoad Statum publicum, Recessibus Imperii nihil contrarii fancire possunt, ut alia taceam.

## §. VI.

In varias species a Doctribus Iuris Publici diuidi Superioritas Territorialis solet, partim enim ratione subiecti in superioritatem Territoriale Ducum, Principum, Comitum, partim ratione formae in Monarchicam, Aristocraticam, et Democraticam, ratione  
vſus

vſus et exercitii in liberam et reſtrictam, ratione dura-  
tionis in tranſeuntem et permanentem, v. TITIVS  
*l. c. III. IV.* 23. ratione concesſionis in allodialem et  
feudalem diſpēſcitur, v. HORN. *l. c. LIX.* 6. 7. quam  
quidem diſtinctionem reiicere videtur STRVV. ex  
ratione, quia Status Imperii eam non ex Imperatoris  
beneficio ſed libero vſu acquisitam, et *Inſtr. Pac.* con-  
firmatam tenerent; ſed pace Viri Excell. non video,  
cur non etiam ille, qui territorium et territorialem  
potestate habet, vtrumque vel offerre Caſari et Im-  
perio poſſit in feudum, vel titulo feudal iude recon-  
gnoſcere vtrumque. Exemplis theſin iſtam corroborat  
ſaepe laudatus HORN. in *Ipſ. Feud. c. 4. §. 14. conf.*  
HERTIVS in *Difſ. de Feud. Obl. P. II. §. 22.* Praeſer-  
tim id obtinere poſte cum vinculum feudal hodie ſit  
admodum tenue, vt vix vltra comem Maiestatis re-  
uerentiam obliget. De aliis, qui Superioritatei tili-  
tulo feudal ſola Imperatoris et Imperii concesſione  
ſubnixi tenent, tot exempla in Diplomatariis Scripto-  
ribus extant, vt iisdem percenſendis facile ſuperſede-  
re queam. Verum enim vero non obſtantibus hiſce  
diuisionibus, vna tamen, ſi rem exactius expendas, eſt  
superioritas in omnibus, et ſi pro diuersitate ſubieci, *211V*  
diuerſa ſaepe nomina ſortiatur, nam huius diuerſa exi-  
ſtimatio, conditio, modus habendi et duratio iſta di-  
ſcrimina producunt, vid. TITIVS *l. c. III. IV.* 23.

## §. VII.

Superioritatis autem Territorialis eximios eſſe  
effectus, nemo in dubium vocabit. Qui enim iſta  
gaudent in territoriis suis, omnia ea poſſunt, intuitu  
illorum, quae poſſunt, qui Iuribus Maiestaticis ga-  
udent in vniuerso Imperio intuitu iſpius, vid. HORN.  
*Inſ*

*Ius Publ. LXI.* i. nisi restrictio probetur. Per istam  
æque sancti et inuiolabiles subditis redduntur, ac Re-  
ges regni sui ciuibus, et crimen laesae Superioritatis  
territorialis eodem fere modo vindicatur, quo alibi  
laesae Majestatis aut perduellionis. Ab instituto meo  
longe alienum foret, si partes quasuis superiotatis ter-  
ritorialis proferre vellem, praesertim cum omnia fe-  
re hic applicari possint, quae in Iure Publico Uni-  
versali seu doctrina de ciuitate sub rubro Iurium Ma-  
iestaticorum tradi solent, quorum integrum catalo-  
gum exhibuit ZIEGLER in Tr. de Jure Maj. quibus  
commode ex Iure publico adiici potest art. 8. §. 2. I. P.  
vid. HERTIVS in Diff. de Superioritate territ.

## §. VIII.

Vti autem omnibus mortalium rebus accidere  
solet, vt maximam partem mutationi sint obnoxiae, ita  
nec aliter cum rebus incorporalibus, quas Iura nun-  
cupamus, comparatum est; nullum enim Ius tam fir-  
mum est, vt amitti non possit, siue amissio ista fiat  
sponte, siue coacte. De actionibus subditorum nul-  
lum superest dubium, quin aliquis Iure suo abstineat,  
siue iussu Superioris eodem carere cogi possit. Quod  
primum casum attinet, de spontanea iuris sui abdica-  
tione, illius exercitum etiam Principi competit. De  
altero vero, an scilicet remedii coactiuis ad renuncia-  
tionem Iuris Sui cogi possit, maior dubitandi subest  
ratio; utrumque constitui, praesenti specimine ul-  
terius explorare, et sub examen vocare, vnde me ad  
ipsam tractationem accingo.

## §. IX.

Accidit primo, vt Superioritas Territorialis fi-  
niatur, si ille, qui adhuc in possessione horum Iurium

B

fuit,

IO DE MODIS FINIENDI

fuit, vitam cum morte commutauerit: vti enim mors omnia soluit, ita etiam exercitium iurium superioritatis territorialis secum auferat, quod tamen intelligendum de ultimo possessore, neutiquam vero vt alios ab eorum exercitio arceat. Resuscitatur igitur Superioritas territorialis in novo Successore, qui in defuncti locum succedit, v. HORN. *Iure Publ. XLIX.14.* Cum hic modus maxime naturale sit, ita plura addere superuacuum duco, illud tantummodo paucis attingere volui, an Successor ad ea, quae defunctus vi iurium Superioritatis Territorialis exercuit, seruanda obligatus sit? Multis adhibitis distinctionibus decidere hanc quaestione Doctores voluerunt; quibus tamen saepius magis rem intricarunt, quam extricauerunt. Egregie Doctorum opiniones recensuit. *III.de LVDEWIG in Diff. de oblig. Successoris in Principatus et clientelas.* Meum igitur si addere licet iudicium, ita subsumo: Omne Imperium nititur pacto, ideo quae intuitu Superioritatis Territorialis Status nostri Imperii exercent iura, ex delatione Reipublicae exercent, ita vt circa omne factum Principis, quod publico nomine geritur, concurrat, quasi Respublica, nisi facta Principis in perniciem Reipublicae vergant, aut legibus fundamentalibus contrarientur. Cum autem Respublica veluti persona immortalis adhuc duret, mortuo licet capite suo, non potest Successor ea, quae Respublica antea per caput suum voluit, et quoque adhuc vult, euertere. Non necesse igitur habemus tantam vim tribuere distinctioni isti, an quis succedat Iure haeredario, an proprio, cum in utroque casu ea, quae ab antecessore Reipublicae nomine gesta sunt, seruare et tueri teneatur. Qua in sententia mihi consentientem

SVPERIORITATEM TERRITORIALEM. II

tem habeo TITIVM l.c.IV.V.8. conf. Opuscula Miscell.

Iur. Publ. p. 224.

§. X.

Sin a Republica certae genti Imperium delatum, atque summa in territorio potestas demandata fuit, Superioritas Territorialis tunc etiam finitur, si gens ista aut familia prorsus extincta sit. Respublica igitur in eum Statum reddit, in quo antea constituta fuerat, et Maiestas, quae antiquitus apud Imperatorem fuit, redintegrates, vid. H E R T I V S de Superioritate territoriali §. 94. Neutquam autem haec extincio familiae tam late sumenda est, vt ne vnicus ex hac familia superesse debeat, sed admodum stricte: sic si in Prouincia quadam masculis tantum defertur summa potestas, sequitur stirpe masculina extincta et familiam pro exticta haberi, licet adhuc supersint ex foeminis, quibus in eiusmodi Prouinciis nullum succedendi ius competit, et veluti pro iam mortuis haberi possunt.

§. XI.

Inter modos finiendi Superioritatem Territ. præcipuum veluti sibi locum vindicat *alienario*, quam per actum, quo rei dominium vel aliud ius in re transferatur, describimus, Quod varie fieri solet vel actu inter viuos, vel in euentum mortis. Superfluum esse autem singulas species referri cum partim ex alienationis definitione ipsa ad eas concludere, partim ex Dd. commentationibus ad alienationis doctrinam easdem intelligere queamus, ad quas B. L. breuitatis studio remitto, conf. ZIEGLER de Iure Maj. L. 1. c. 4. ITTER. de Feud. Imp. c. 17. HORN. Ipd. Feud. c. 19. MATTHIAS STEIN de alienatione immediati feudi

*Imperii.* Hic illud tantum quaestio[n]is pra[e]iudicialis loco praemittendum erit; An Status Imperii territorium suum atque Superioritatis territorialis Iura valide alienare possunt? Singulare Diff. quaestio[n]em istam ventilauit de STOCKHAVSEN de Iure Statibus Imperii circa alienationem territorii competente. Antequam vero ad problema propositum transeam, casus quosdam distinguendos existimem. Quaedam enim Superioritas territorialis nexus feudal[is] ab Ordinibus Imperii possidetur, circa eam alienationem omnem illicitam esse ex generalibus Iuris Feud. principiis intelligitur; Ex hoc capite infracta fuerunt testamenta Georgii Ducis Sax. v. SLEIDANVS ad ann. 1539. L. 52. ex Georgii Ducis Bauariae, v. ADLZREITER Anal. Bauar. P. II. L. III. n. 76. ad ann. 1504. Quae-dam autem Superioritas Territorialis libere et titulo allodiali habetur, circa eam quod alienatio fieri possit, non est, quod ferme dubitem. Licet in hoc causa item distinguere curatoris cautionis ergo inter alienationem quae fit in Constatum Imperii et eam quae fit in extraneum: Quoad priorem Imperio nullum eminet periculum, quoad posteriorem autem maior dubitandi ratio subest, p[re]a[er]imis si extraneus iste nimis potens sit, cuius a potentia Imperio damnum inferri potest, si ad publica consilia ineunda insimul admittatur. Haec obstacula sitollas, Statusque Imperii liberos rerum suarum arbitros aetimes, alienatio Superioritatis Territorialis et Territoriorum vix in dubium vocatur. Quo autem periculum Imperio ex alienatione proueniens, facili negotio evitetur, consensus alienantis solus sufficiere non putatur. Cujusnam autem consensus ulterius requirendus sit breuibus vi-den-

dendum erit. Nonnulli alienationem pro negotio Caesareo Electorali venditant, in eo nimurum casu si territorium cum omni Superioritate Territ. in exterrum transferatur, v. HORN *Ius Publ. L. 8.* THOMASIVS de Feud. oblat. c. 2. §. 37. Alii autem, qui et rectius mihi sentire videntur, omnium Statuum assensum sive in exteris sive in Constatus territorium transferatur, requirunt, vid. TITIVS l. c. IV. III. 26. Ratione hac maxime suffulti quoniam nexus ille, quo vniuerso Imperio obstringitur alienans, hanc efflagitare videatur. Adeo enim vinculum inter Ordines Imperii sociale, a quo, altero inuito, recedere non licet: Accedit, damno illud futurum forsitan esse Ordinibus Imperii, si in alienandis territoriis eorum consensus negligatur, quia saepe hoc modo vota Collegii in Comitiis diminuantur. Praeter consensum autem Comitiale quidam adhuc subditorum et agnatorum, quibus Ius quae situm ex parte alienantis competit, consensum desiderant, vid. TITIVS l. c. IV. III. 27. Verum negatur a Rhaetio, sed an ista etiam, quae haec tenus dixa ad partialem alienationem pertineant, haud immerito quaeritur. Fieri eam posse neglecto consensu Imperatoris et Ordinum plurimi dicunt, inter quos Perill. Dominus a SECKENDORFF im Teutschen Fürsten-Staat P. II. c. 3. §. 6. SCHILTER ad Ius Feud. Alemann. XXVI. 4. quibus assensum praebere nullus dubito, nam ob Superioritatem Territorialem liberiori iure quam nudi Vasalli fruuntur Status Imperii, quod tamen ita restringendum puto, nisi fiat alienatio de insigni parte quota, Praefecturam tamen quandam aliaeque praedia et partem quantum licite alienare possunt. conf. STRYCK. Ius Feud. c. XIX. qu. 26. Quae in prae-

senti de consensu ad alienationem necessaria tradidi, in sequentibus magnam patiuntur exceptionem. Per A.B. enim C. X. §. 2. toti Electorum Ordini speciale privilegium fuit concessum, ut a quibuscunque Principibus et personis aliis, quasvis terras, castra, possessiones, praedia sive bona licet emere, seu in donationem ex qualibet causa aut in obligationem recipere sub istorum bonorum conditione consueta, vel propria, vel libera, vel feudalia sint, modo onera iisdem inhaerentia in se recipiant; simile ius Archi-Ducibus Austriae, vid. Dn. FRANCKENSTEIN in *Diss. de Praerogatiuis et Praeeminentiis Augustissimae Domus Austriae* §. 34. et Mantuano Duci fuisse datum, teste LIMNAEO in *Iure Publ.* V. 2. n. 32. et Dn. a LVDEWIG ad A.B. c. X. §. 2. T. I. p. 907. sqq. Facta igitur in alium iusta alienatio, finitur Superioritas Territorialis, quae apud alienantem adhuc resedit; subsistere enim citra territorium Superioritas Territorialis nequit, in quo enim se exserat, non datur. Nescio igitur, quomodo HER-TIVS defendi possit, statuens praefumtionem esse tamdiu quendam Superioritatem Territ. retinuisse, donec circumstantiae contrarium ostendant, vid. eius *Diss. de Feud. Obl.* P. II. §. 26. conf. HORN. in *Iure Publ.* c. 58. §. 5. & 9. alias enim territorium subalternum nasceretur, vid. III. GRIBNERVS in *Diss. pec.* sed an ista etiam statim cum territorio conferatur? quaestionis esse putarem, si iure allodii exercita fuerit, res in aprico est, et extra dubitationis aleam posita, si autem sub nexu feudali possessa, tunc non aliter quam consensu Domini directi in alium conferri potest, conf. HERTIVS in *Diss. de Superioritate Territoriali* §. 94.

§. XII.

Inter modos finiendi Superioritatem Territorialem connumerari etiam debet abdicatio, siue ut alii loqui amant, refutatio. Dispesci potest in spontaneam seu voluntariam, et coactam seu inuoluntariam, ad priorē numero, si ob Reseruatum Ecclesiasticum Clericus dignitatibus et bonis immediatis ecclesiasticis exuitur, aut si ob negligentiam Iura Superioritatis Territ. praescribantur. Etenim cum hisce casibus summus imperans ipse ansam dedisse merito censendus sit, eas ad voluntariam abdicationem Iurium referre nullus dubito. Ad alteram classem autem refero, si vi belli, fasces Regiminis deponere, Princeps armata manu cogatur. De voluntaria prius acturus, in eius iustitiam inquirere supersedeo, cum ex principiis Iuris Publici Vniuersalis ea deducenda sit: nec ad scopum meum pertineat. Pro iusta igitur pronuncio, donec probetur, eam iniustum factam esse. Refutatio igitur est actus, quo Status Imperii feudum Imperii legitime et tempestive resignat. Abdicatio est actus, quo regimen resignatur. Multae subesse possunt causae, quibus Ordines Imperii moti, regimen, quo adhuc vī fuere, deponant, vel enim imbecillitas virium et nimis prouecta aetas hocce propositum suadere possunt. Ius igitur facienda est resignatio, quorum voluntate regimen in Principem collatum fuit; Relaxandi subditi ea facta ab homagio et aliis officiis alioquin praestandis. Ius suum derelinquit Princeps, quo subditos obligatos habebat, eoque dimisso definit ratione ciuium omnis vltior obligatio, et resignans sortem priuati hominis nanciscitur. Vti sublimine statim huius §. abdicationem in voluntariam et in quo-

inuoluntariam diuisi, simul praecipuas prioris distinctionis causas indicabo. Scilicet huc pertinet mutatio religionis, et negligentia, quae praecriptionem operatur.

**§. XIII.**

Mutatione religionis ratione certorum territoriorum superioritatem Territ. tolli, in praesenti demonstrabo. Cum enim reseruati Ecclesiastici usum introducere, placuerit, quo siue sit Catholicus, siue Augustanae Confessioni addictus, qui religionem mutet, suo iure et beneficio statim excidat, vid. art. V. §. 15. I. P. factum est, ut Freystellioratus iste merito locum inter modos finiendi Superioritatem Territ. occupet. Non desunt exempla, quibus ius istud exercitum fuit: Ita enim Gebhardus Truchsess 1587. beneficiiis suis privatus fuit, cum in Protestantium castra transiret, cuius *aeta et fata singulari Diff. KOELERV S Historicus incomparabilis examinavit, Aldorf. 1723.* ad quam B. L. ablego. Sed quod ad hunc causam attinet de eius iustitia omnino dubito. Nam tunc temporis Protestantes nondum agnouerunt Reseruatum Ecclesiasticum, sed eidem semper se opposuerunt, v. Pfanner in *Hist. Pacis Westphal. I. III. n. 70. p. 177.* Istud reseruatum autem tantum pertinet ad regiones, dignitates, Iuris Ecclesiastica, non autem ad eas Provincias, quas aliunde quis quaeferas habet.

**§. XIV.**

Ad voluntariam etiam alienationem spectat praescriptionio, quam nimia quondam negligentia facile operatur. Inter gentes hic modus semel receptus est, ut socordia hominum puniatur iudicatu enim est facile, eum, qui intra longum annorum spatium iure suo non vitetur,

tur, illud penitus dereliquisse. Huc accedit, quam maxime Reipublicae nocium esse, si diu rerum domina incerta maneant, cui malo obuiam iuerunt Summi Principes, certam armorum seriem statuentes, intra quam dominia amittantur, conf. GRIBNERI *Principia Ipd. Nat. L. 4. c. 5. §. 5.* An autem etiam Superioritas Territ. nostra praescriptione finiatur? in praesenti quaeritur: Diversi casus inuicem sunt distinguendi, aut enim Princeps contra Principem, aut subditus contra Dominum suum eam allegat. Multi quidem sunt, quae Dd. circa hanc doctrinam in contrarium proferunt, sed nos cum HER TIO pro certo putamus, eam in Imperio nostro locum habere, et ex Legibus Imperii nostri praeter tempus immemoriale nihil amplius desiderari, v. R. I. de ann. 1548. §. 56. et 64. Instr. Pac. Osnabrug. art. VIII. §. 4. art. IX. §. 2. et art. XV. §. 2. conf. et HER TIVS in Diff. de Superioritate Territoriali §. 61. Ex quibus legibus allegatis sponte corruit sententia THOMASI I. quam in Diff. de Praescriptione Regalium ad Iura Subditorum non pertinente, proposuit. Et haec de speciebus voluntariae abdicationis dixisse sufficient, quae enim dicenda essent, de nimio pietatis studio, de aetate prouecta, imbecillitate virium, defectu rationis, ita sunt comparata, ut vltiori commentatione opus non habeant; nisi forsitan vsu haec omnia destitui quis sibi persuaserit, sed nec hic exempla deesse, facile demonstрабо. Wilhelmus V. Dux Bauariae maiorem quam Imperii rationem habens, regimen in filii Maximiliani manus anno 1598. resignauit, vid. Dn. a LVDE WIG in Germania Princ. L. IV. c. I. §. 23. ubi aetatem

C  
tem

tem prouectam ac pictatem Fridericum deuotum se in coenobium abdidisse, permisso filiis Bernhardo et Ottoni Victorioso ann. 1467. omni Prouinciarum regimine, testatur SAGITTARIVS in Histor. Lutnaeb. p. 30. vid. et RECHENBERG. de Successione Guelfica c. 2. §. 28. Augustus, Dux Lunaeb. senectam viriumque imbecillitatem causatus, se a regimine abdicavit, statim post mortuus anno 1636. v. Ser. Due. Brunswic. facta Heroica a Dn. B. G. STRVV. elegantissima Diff. descripta §. 36. Notiora sunt de Carolo V. Imperatore, quam vt iis percensendis inhaeramus. Ob vires rationis debilitas, Odoardum I. Ducem Parmensem excluso fratre Primogenito Alexander, regimini admotum, refert LIMN. ad A. B. c. 7. §. 2. obs. XI. Ob eandem causam nostris temporibus Augustanus Episcopus S. T. caruit ad tempus, administratore constituto Praesule Constantiensi, donec Augustanus sanitati restitueretur, vid. Elec<sup>t</sup>. Iur. Publ. T. VI. p. 707. HVBN. Suppl. XI. p. 212.

## §. XV.

Ferimus nunc ad abdicationem territorii sui eiusque intuitu iurium dependentium coactiuam, quam vis bellica efficit, videri quidem possit, ac si banum Imperiale et aliae poenae, quae delinquentem iuribus suis priuant, ad hanc speciem spectarent, sed merito illa omnia infra, ubi sermo de delictis erit instituendum, commodius recensebo. Si vim bellicam inter modos finiendi Superioritatem Territ. refero, intelligo, eam ab extraneo illatam esse. Vti enim inter Status Imperii per Leges fundamentales ac prae-

ser-

fertim Pacem profanam omnia bella et diffidationes cessare debent, ita licet de facto hisce Legibus quid contrarium suscipiatnr, illud tamen pro iniusto et nullo erit reputandum, vt taceam, neutquam inde superioritatem territorialem interuerteri. E contrario siin extraneus regionem cuiusdam Status inuadat, eumque territorio suo et inde dependentibus Iuribus suis exuat, sublata vtique Superioritas Territorialis censem debet, cum Leges nostrae fundamentales exteros Principes prorsus non obligent; interim probe animaduertendum, quod pace insecura abdicatio quoque expressa requiratur, restituto enim territorio non finita fuit, sed cessauit Superioritas Territ. per pacem vigori suo reddita, adeo vt interea bello adhuc durante Status voto et sessione in Comitiis vsu haud interrupto perfruatur, vti circa Bipontinum obseruauimus sub finem Seculi XVII. v. *Autor. Meditt. ad Instr. Pac. Spec. 2. Mant. p. 284.*

## §. XVI.

Vlterius in modos finiendi Superioritatem Territorialem inquirenti occurrit exemptio, cuius naturam et indolem prolixius scrutari instituti ratio exigit. Definire placet quo Status Imperii per alium ab hac qualitate abstrahitur, vel se ipsum subducit. conf. *Meditt. ad Instr. Pac. Spec. IV. Mant. I. §. 41. sq.* Qualitas autem Statuum Imperii nostri consistit certo modo in immediatate, imprimis vero in iure statuendi de publicis rebus sive quod idem est in iure Sessionis et suffragii in comitiis, quibus amissis Status quis esse desinit. A qualitate Status igitur per exemptionem aliquis ab-

C 2

tem

strahitur, quod varie fieri potest: Aut enim exemptione ista nicitur iure belli, aut spontanea cessione, v. HORN. in Iur. Publ. XLVIII. §. per vim bellicam alteri regiones et Provincias subiecti posse omni dubio caret, et exempla in nostro Imperio satis testantur. Quod autem spontaneam cessionem attinet, ea iterum in expressam et tacitam dispesci solet; ad expressam pertinent quae Pace Westfalica et Ryswicensi Gallis plenarie cessa sunt, v. Instr. Pac. Monast. §. 70. et Instr. Pac. Ryswic. art. IV. et XVI. et HORN. l. c. c. 4. §. 17. Cessionem tacitam idem laudatus Autor pro praeescriptione accipit, quam in rem hic repetenda duco, quae supra §. 14. de praescriptione tradidi. Solent Dd. Iuris Publici exemptionem iterum diuidere in totalem et partialem. Totalem dicunt, qua Status Imperii prorsus abstrahitur, vel se subducit Imperio Romano Germanico una cum territorio, tum quoad onera, tum quoad recognitionem Imperialis Maiestatis: Sic Dania quondam et Hungaria se subtraxerunt Imperio. Ad Circulum Saxoniae Superioris olim spectabant Gedanum et Elbinga, quae hodie a Polonis possidentur, ut alia exempla sileam. Partialis autem exemptione dicitur, qua quis quidem ab immediata Imperii eximitur, salua tamen subiectione Imperii, siue quando ex Statu Imperii fit Status Provincialis. Eximentes igitur sub nomine der ausziegenden Stände veniunt, exenti autem ausgezogene vocantur. Exempla eiusmodi exemptionum videre licet in Episcopatibus olim Saxonici Mi-senensi, Martisburgensi et Numburgensi, et in Brandenburgicis vid. HORTLEDER. de Caus. Bell. Germ. T. I. L. V. c. XI. Amplissimum exemptionum Catalogum

gum exhibet LIMNAEVS T. I. L. I. c. 7. et addit.  
T. I. ad hunc locum. De vtraque totali et partiali  
non parum conqueritur Imperator, daß das Heil. R.  
Reich an seinen Gliedern nicht allein von fremden Po-  
tentaten mercklich geschwâchet, sondern daß sich auch et-  
liche selbst davon absönderten, viel Prälaturen, Graf und  
Herrschäften auch Fürstenthümer durch allerley Mittel  
entwendet, zertheilet, und dermaßen zertrennet, daß man  
ihre Anschläge nicht habig seyn kan, ja auch ganz aus der  
Matricul verloren werden, vid. Rec. Imp. de anno 1570.  
§. 108. Quod reliquas exemptionum distinctiones atti-  
net, qua distinguntur in plenos et minus plenos, in  
eas quae sunt cum onere et sine onere, in iustas vel  
injustas, eas lubens omitto, cum haec quae dixi prô  
instituti ratione sufficientant. Cui vero volupe est, et  
reliquas inspicere species, ille conferat MATTHIAE  
STEIN Diff. de Matricula Imperii Nouissimæ c. 3. §. 7.  
An autem Status Imperii nullius requisito consensu se  
Imperio subducere queant? haud frusta queritur.  
Sin iusta dici queat exemptio, praeter consensum ex-  
empti etiam Imperatoris et Imperii requiritur; quod  
probare solent ex Capitulatione Caroli VI. art. 1. und  
ohne der Churfürsten, Fürsten und Stände vorgehende  
Bewilligung keinen Reichs-Stand, der Sessionem et vo-  
tum in denen Reichs-Collegiis hergebracht, davon su-  
spendiren und ausschliessen. Imperio enim saepius ta-  
les exemptiones praeiudicio esse possunt, siquidem ta-  
li exemptione non utile solum Dominium a Vasallo, sed  
etiam proprietas ab Imperatore in alterum transfer-  
tur, atque Prouincia ab onere collectandi, ac Iurisdi-  
ctione Imperii vindicatur. Licit autem Status Im-  
perii

perii se cum territorio suo sine consensu Imperii ab immediata eius Iurisdictione eximere nequeunt, possunt tamen apud exterros Reges absque consensu Imperii protectionem querere *Infr. Pac. art. VIII. §. gaudeant.* Praecipue cum per hanc clientelam se Imperio non subducant, und Schirm-Gerechtigkeit keine Obrigkeit giebt, vid. KNIPSCHILD de *Ciuitat. Imp. L. 2. c. 24. n. 416.*

### §. XVII.

Porro inter modos finiendi Superioritatem Territ. locum etiam habet incorporatio, quae est actus, quo diversa territoria sub vna Superioritate Territ. connectuntur, sive ut clarius mentem explicem, est vno territoriorum ad vnum Regimen Summum, vid. TITIVS in Spec. I. P. L. IV. c. 8. §. 21. Parum differre mihi videtur incorporatio ab exemptione, quare maximam partem hic repetenda erunt, quae modo de exemptione differui. Amittitur Superioritas Territorialis per incorporationem, sed plerumque istud solum intelligendum, quoad pristinum possessorem; necesse igitur non est, vt semper prior qualitas mutetur, nec diuersa qualitas tollatur, leges enim, priuilegia, instituta, similiaque in ditionibus incorporatis salua manere possunt, imo titulus et votum Comitiale territorii incorporati non raro supereesse solet, recte censente ITTERO de Feud. Imper. c. VIII. §. 21. sq. et hoc spectant, quae cum Misnia et Thuringia contigerunt. Ulterius si inter vnam alteraque gentem pactum confraternitatis initum fuit, vt vna gente extincta alter pacifcentium demortuas pro-

prouincias nanciscatur, eo ipso incorporatio intercedit, qua tamen interueniente neutiquam iura territorii incorporati necessario mutantur. Sic cum Comitatus Hennebergicus ultimo possessore defuncto ex pacto confraternitatis in domum Saxoniae deferretur, incorporatio quaedam quodammodo intercessisse dici potest. Et in eo quaedam differentia, licet parui momenti incorporationem inter et exemptionem subesse videtur, quod haec plerumque viuis adhuc possessoribus illa autem demum in casum mortis pactis adhibitis subsequatur. Variis modis ex sententia Dd. Iuris P. haecce incorporatio celebrari potest, vel tacite vel expresse; prius fit per usurpationem, si aliquis per lapsum immemorialis temporis aliis Prouinciis ut suis imperauerit, vel expresse ad quem actum Caesaris consensu opus esse, haud pauci autumant, vid.

IT'TER. de Feud. Imper. c. 8. §. 10. Caeterum de incorporatione propria haec tenus proleta maxime intelligenda erunt, impropria vero quando plura terra-  
ria sub uno imperante saltem coniunguntur, systema-  
tica saltem erit territorialum coniunctio: vt de Mag-  
deburgico Ducatu sub Electoribus Brandenburgicis  
constat.

### §. XVIII.

Sine territorio vix Superioritatem Territorialem concipi posse inter omnes constat, nam intuitu terri- torii egregia haec iura competit, si igitur quis ter- ritorio suo priuatur, cessabit etiam Superioritas Ter- rit. Id quod contingere potest, interitu totius ter- ritorii, nam si illius pars tantum pereat, in partes re- liquas iura haec adhuc exerceri possunt. Contingit  
hic

hic interitus, si v. g. Insula aquis submergatur, vel ciuitas Imperii penitus exscindatur. Attamen suffragii ius retineri territorio vi maiori plane sublato iudicat HORN. quia qualitas Statuum sit personae dignitas, non glebae pretium.

## §. XIX.

Nunc illos modos Superioritatem Territ. finiendo considerabimus qui ob delictum contingunt. Principes enim licet praे aliis mortalibus in Summo honoris fastigio constituti sunt, legibus tamen Imperii subiaceant; et cum naturam humanam non exuant, poterunt ipsi quoque a lege deflectere. Hisce igitur pagellis varia dicenda veniunt, 1.) quibusnam legibus Principes obnoxii sunt, 2.) qua poena eorum delicta expianda. 3.) cui ius in Principes animaduertendi competit. Amplius hic dicendi foret campus, nisi anterioribus terminis Dissertatio includenda esset. Potissima igitur momenta perpendam, ut ex rite formatis Principiis iusta et conformis subsequatur conclusio.

## §. XX.

Duplicis generis Leges, quibus utimur, esse satis notum est. A diverso enim Auctore diuersas quoque denominations accipiunt. Inde divisio Legum in Diuinas et Humanas nata fuit. Singulae pro sua natura obligandi vim habent, eo autem discrimine ut priores vniuersaliter posteriores vero tantum pro parte obligationem producant. Sed quibus Legibus Princeps obligetur, ex definitione Legis apparebit. Lex est voluntas superioris de re aliqua vel committenda vel omit-

omittenda. Si igitur Lex Principem obligare debet, a Superiore illius lata sit oportet. Igitur sine dubio leges a Deo profectae, Principem quemuis obligabunt, modo Deus voluerit, eas vniuersaliter obligare; Dantur enim Leges diuinae particulares, certam gentem tantum concernentes. Sed quaevis Lex vniuersalis est Lex Dei, cum nemini alioquin praeter Deum omnes creatureas sibi obligandi ius competit; Leges diuinae igitur vniuersales Principem licet sit Summus, certissime obstringunt, vid. B V D D E V S in *Diss. de. Principe Legibus Diuinis non soluto.* Sed quoad Leges humanas aliter dicendum erit, ne tamen ultra fines Dissertationis huius uehar, rationem Statuum Imperii nostri tantum habebo. Vbi quaestio mouetur, quae nam Leges Status Imperii nostros obligent, ad nullas prorsus Leges qua leges Status Imperii nostri in Imperio et regionibus suis adstrictos esse censeo, nam Ordines Imperii si paullo penitus consideres, duplum considerationem merentur. Aut enim consideras respectu habito ad totum Imperium Romano-Germanicum, eos aequales socios et coimperantes inuenies, aut consideras in respectu ad propria territoria, eosdem nulli subiectos reperiens. Vtraque igitur eorum conditione probe examinata nullum animaduertes subiectionis vinculum, aequalis enim in aequalem nullum habet Imperium, nec Summus imperans in terris suis aliorum placita admittere tenet: Vnde Ordines Imperii a Legibus humanis certo respectu exempti sunt: certo, inquam, respectu, nam si Princeps in alterius territorio viuens quid contra Leges Prouinciales committat, exceptione exemptionis a Lege humana

vix tutus erit. Vbi tamen circa delicta Principum circumspetione opus erit, imprimis si delinquens potens sit, et viribus coniunctis poenam inflictam vindicare valeat, vid. a B ELLMONT. in *Diss. de iure puniendo Principem in proprio vel alterius territorio delinquentem* Sec. 3. Plures equidem existimant, tum legibus Imperii fundamentalibus, tum Legibus regionis suaे Status esse obnoxios, verum Leges Imperii improprie tales dicuntur, quod quae ex pacto et conuentione proueniunt proprie Leges non sunt, conditio autem et expressa voluntas eas conuentiones constituentium satis abunde declarat, se ex pacto tantummodo obligari velle. Et licet vide ri possit, magis legem conditam esse, quam pactum initum, vis tamen rei, non verborum inania erunt spectanda, vid. TITIVS in *Spec. Iur. Publ.* 2. 1. ii. Itaque haec obligatio Statuum Imperii non ex Lege sed ex pacto primario proficiuntur, sin autem ab effectu subsequente circa Status singulos et duratione haec pacta legis dicere velis, non refragabor. Nec ulterius obstat, Imperatorem caput Imperii dici, et omnes Recessus eius nomine promulgari, vnde Imperator utpote Superior Statibus Leges praescribat. Attamen venerantur quidem caput supremum Ordines, ipsius tamen potestas per Capitulationem est restricta; maiestatem Summam in Imperatore omnes agnoscunt; haec tamen semper intelligenda est saluis iuribus Statuum Imperii; quod suo nomine Recessus Imperii Caesar publicet, nec deteriorem Statuum Imperii conditionem facit, male enim a pro mul

mulgatione ad causam efficientem concluditur; Et ipsa Recessuum verba aperte dicunt: *Haben uns mit und gegen einander deshalb in Contracts-weise vereinigt, verpflichtet und verschrieben*, vid. Rec. Imp. de ann. 1500. vt plura ex sequ. Rec. taceam. De legibus Prouincialibus cuiusuis territorii Principem obstringentibus item dicendum erit, eas ex pacto proficiisci, quod inire non recusabit Princeps bonus, nec Summæ Principis Maiestati aliquid decrescit, tum ex conuentione ad aliquid praestandum obligatur. Nam qui ex propria conuentione obstringitur, is quidem tenetur ad pacta seruanda, sed neutiquam haec conuentio licet etiam iurata aliqualem Subiectionem inuoluit, nec ipsis summitati quam ante initum pactum habuit, quid detrahit. Itaque semper obligatio Principum Imperii ex pacto metienda erit, hieque locum inueniunt, quae ius naturae circa pacta eorumque conservationem praecepit, vid. AHASVER. FRITSCH. in Tr. de principe peccante.

## §. XXI.

Delinquere ita Principem, si pacta inita non servat, omni dubio caret. Qua poena autem eorum delicta excipienda sint, non in genere exprimi potest. Nos interim hoc loco eas tantum considerabimus, quibus iura Superioritatis Territorialis simul finiantur. Delicta Principum Imperii dispescimus in ea, quibus totum Imperium offenditur, et in delicta, quibus subditis tantummodo aegre fit. Ad

D 2

haec

haec primo loco vertimus oculos, vbi deprehendimus a Princepe in subditos suos peccari vel directe vel indirecte. Indirecte subditos suos laedit, si ipse leges a Deo latas negligit, et contra eos peccet; eo ipso enim dum Leges diuinias contemnit, subditis suis scandalum praebet, et efficit, vt iidem timorem Summum Numinis eiiciant, quod malum Princeps tanquam Vicarius Dei semper euitare debet. Sed an in eiusmodi delictis e. g. homicidio, adulterio, humanis poenis etiam locus relinquatur, sub quaestione est; Affirmat TITIVS in *Spec. Iur. Publ. IV.* 9. 26. Sed magis placet opinio Virorum Illustrium, BERGERI et GRIBNERI, quam in *Diss. de Lure appanaglii* §. 15. & de praeiudicio Principum Imperii ex abusu Iuris Iustinianei c. 2. §. 14. not. d. proposuerunt. Directe autem Princeps in subditos suos peccat, si eiusmodi actiones suscipit, quae directo in perniciem Republicae vergunt, et Legibus seu pactis initis repugnant; illud contingit, si Iuribus sibi competentibus Princeps abutatur, dum e. g. nimia saeuitia subditos et ciues suos afficiat, libertate eosdem priuare studeat, cum tamen semper considerandum, daß die Unterthanen im Lande nicht Sclaven seyn, vid. SECKENDORFF in *Teutschen Fürsten-Staat* 2. 4. 1. Imprimis autem hic abusus conspicitur, si leges fundamentales notorie violat, et ob priuatam vtilitatem omnia conturbat et inuertit. His igitur perpensis ad poenas in hosce statutas transgressores deteniendum est. Quod delicta intuitu Legum diuinarum concernit, illa diuinae vindictae

dictae merito reseruantur, illique principum iniustitia committenda, quod et dicendum, de saeuitia Dominorum in subditos suos, nisi prorsus enormis sit, dum enim recursus datur ad Caesarem, qui omnibus generalem tutelam exhibere et praestare tenetur, vid. *Capitulatio Caroli VI. art. 15.* Si igitur Imperator quosuis subditos sub tutelam suam recipit, sequitur, quod et eos defendere velit et debeat. Quando autem in Legibus fundamentalibus poena iamiam sit statuta, tunc Princeps iuxta eas praevia causae cognitione coercendus est. An autem per eiusmodi leges Superioritas Territoriales adimi, et Princeps Iuribus inde profluentibus spoliari possit, disquiri meretur. Ego non nego, Principem cum partem Legum fundamentalium dispositiua agnouerit, etiam agnoscerre debere partem vindicatiuam, sed an statim vi harum Legum Superioritas Territ. plane tolli queat, merito dubito: nam si subdititalem legem Principi suo praescribere possunt, possent etiam eum voto et sessione in Comitiis priuare, quibus tamen priuari nequit, nisi iniurius in ipsum Imperium existat. Ita igitur cum Principe delinquentे agendum arbitror, ut eum admoneat Imperator et Imperium, emissis mandatis et inhibitionibus, quibus neglectis poenae arbitrariae forsitan locus erit, nisi poena iam determinata, casu eueniente ex Legibus Imperii possit monstrari. De quo mox plura, vbi de delictis Principum Imperium spectantibus agemus. Olim non defuerunt Icti, ad leges feudales Longobardicas prouocantes, quibus omnis feudi abusus et deterioratio pro-

hibita est, vnde ab eiusmodi delinquentibus feloniam committi, ac priuationi feudi locum esse putant. Vnum allegare sufficiat CARPZOVIVM de Leg. Reg. c. 13. sed. 3. n. 18. quae tamen opinio apud omnes nunc explosa iacet.

## §. XXII.

Restant delicta, quae vel Imperatorem vel Imperium spectant, in specie vero crimen laesae Maiestatis et feloniae, vel in conciues committuntur, ut crimen fractae pacis publicae et religiosae, vid. TITIVS in Spec. Iur. Publ. VI. 2. 57. In Imperatorem igitur et Imperium peccatur per crimen laesae Maiestatis et feloniam: prius est delictum, quo quis aliquid aduersus Principis vel Reipublicae Superioritatem, dignitatem et existimationem machinatur. Originem huius delicti ac indolem Diff singulari GVNDLINGVS et Dn. a LVDEWIG in Commet. ad A. B. occasione Tit. 24. §. 2. exposuerunt, quibus aliquid addere facile supersedere possumus. Illud vero indagari meretur, an a Statibus Imperii hoc delictum in Caeſarem et Imperium committi queat? TITIVS non dubitauit, Status Imperii huius criminis reos pronunciare, in Specim. Iur. Publ. VI. 2. 59. et v. 4. 4. Sed plura me mouent, vt ab eo dissentiam. Discernenda enim veniunt tempora antiqua ab hodiernis. Antiquis enim temporibus, quibus vicaria Statuum erat potestas, facilis erit quaestionis propositae decisio, imo adhuc iis temporibus, quibus Superioritas Territorum dies magis magisque succrescebat, non infrequens erat

erat crimen istud, atque subsequens poena: ita VITVS ARENBECKIVS de Guelfis in Ottonem ad annum 1072, scribit: *Egino defert Ducem Boioariae Ottonem, quod is secum de Regis Henrici IV. nece tractasset; sic Ducatum Bauariae Otto, ut reus laesae Maiestatis amisit 1071. quem Welfus natione Suevus accepit.* Nostro autem aeuo, vbi Principibus Imperii potestas propria competit, iustas dissentendi causas nancisco. Magna quidem est autoritas contra sententium LINNAEI, MVLZII, GOLDASTI, ITTERI, et aliorum, sed tamen hac non obstante veritatem profiteri necesse habeo. Praecipua autem Dd. quos adhuc retuli, ratio eoredit, quod Status Imperii praeter Vasallorum conditionem etiam personae intuitu Imperatori et Imperio obligatos esse existimant. Sed illud subiectonis vinculum merito negandum est; Negandum, Status Imperii esse subditos siue Imperatoris siue Imperii, quae enim obici possunt huic thesi dubia, supra reieci: Negandum igitur ab iis crimen laesae Maiestatis committi, cum illud nonnisi in subditos cadat; Vnde atrocissima huic criminis statuta poena Status Imperii multo minus tanget, quod autem TITIVS l. c. existimet, etiam socios huius criminis reos fieri posse, solide refutauit Dn. CRAMERVS in *Diss. inaug. de natura et in-dole delictorum et poenarum in causis Statuum Imperii Rom. Germanici §. 4. lit. M.*

## §. XXIII.

Altera species delictorum, quibus in Imperatorem

rem et Imperium peccatur, felonia audit; praesupponit illud delictum nexum feudalem, et in causis feudalibus locum inuenit, igitur non ad omnes Status, nec ad omnes eorum terras quadrat, cum dentur allodia Imperii, quae a nexus clientelari libera sunt, quaeque prolixiori Commentatione recensuit Excell. STRVV. in *Diss. de Allodiis Imperii.* Felonia est delictum feudale, quo fidelitas laeditur. Feudum Imperii autem est ius vtendi praediis, territoriis, iuriis, officiis, Regni Germanici, nexus singularis fidelitatis interueniente, ab eiusdem capite supremo immediate acceptum. Feudo Imperii igitur introducto, ad instar feudorum minorum sive mediatorum delictum feloniae inualuit. An autem ea, quae Iura Longobardica de felonia tradiderunt, ad feuda Imperii valide et semper applicare possint? dubito, vid. B. SPENERVS in *Exam. Doctrinae Longob. de felonie ad Status Imperii communiter applicatae.* Vt autem Doctores Iuris Feudalis feloniam aliam esse Domini directi dicunt, aliam Vasalli, ita et nos in applicatione ad Status Imperii dispiciemus, an Status Imperii, qui dominio directo gaudet, vel vtili, huius criminis reus fieri, indeque alterutro priuari possit. Prouocatur ad Meursiae Comitatum, ideo Cliviae Duci ademtum, et ad Arausionensem Principem deuolutum, quod Dux graui iniuria Vasallum affecisse, nec defendisse ditionem diceretur, vid. SLEIDANVS L. VI. ad ann. 1526. De illis qui dominio vtili fuerunt multati, exempla cumulantes, graues nos futuros Lectori veremur. Sed si sobrie rem consideremus, hac

hac in parte potius in castra Speneri transimus, qui exiguum usum doctrinae Longobardicae in capite Feloniae esse arbitratur, cum in exemplis non feloniae crimen sed alias prorsus subfuisse rationes ostendat, cur territoriis suis priuati fuerint, vid. SPENER. l. c. §. 16. Dein vterius laudatus Autor in §. 19. docte monstrat, rationes Imperii nostri non quadrare ad instituta Longobardica, eandem veritatem cognitam perspectamque habuit TITIVS in Specim. Iur. Publ. IV. §. 3. dicens: *que de delicto seu feloniam ex Iure feudali Longobardico afferuntur, libertati Procerum Germanicorum vix connenint: hic putem, Statum Imperii non aliter territorio priuari posse, quam si hostilem erga Rempublicam induat animum.* Quod si fiat, non ex placitis Longobardorum feudalibus, sed ex publicis Imperii iuribus Imperii iudicandus erit: cum feuda Imperii vti origine admodum a caeteris feudis discrepant, ita plane etiam diuersis constent, atque persistent iuribus. Scilicet vti Status Germaniae Principis feudalis publicus est, ita etiam ex nullo alio quam ex Legibus publicis delictorum diiudicatio petenda erit.

## §. XXIV.

Deueniendum nunc est ad delicta in Constatus commissa, vt crimen fractae pacis tum Profanae tum Religiosae. Vtraque in Imperio nostro ideo introducta est, vt diffidationibus tandem obex ponatur, et ne vterius diffidia ob religionum discrimina audi- rentur. Qui igitur omnis pacis finis, ille et utrius-


E

que

que nostrae fuit *Publica Quies*: si igitur aliquis contra haec instrumenta pacis quid mali machinetur, ille poenas inibi statutas incurrit. Poena autem fractae pacis est duplex, vel pecuniaria, 2000. marcarum auri puri, et simul perditio priuilegiorum, vel bannum sive proscriptio, vid. *Ordinung des Landfriedens de ann. 1521. §. 3. et 1555.* Excipiendi tamem casus in quibus poena banni cefsat, sed in aliam commutatur, 1.) in personis Ecclesiasticis, vid. (*nimis de Iure iur. 2.*) in foeminis, vid. *GAIL. L. 1. de Pace publ. 3.*) in universitate, vid. *GAIL. l. c. L. 2. 4.*) si poena bannis sine publico motu et scandalo executioni dari nequit, 5.) si delicti atrocitas non sit enormis, v. *MAVL. in Tr. de Pace Publ. sive Profana Imperii.* De origine banni Imperii dissentunt Doctores, sed verosimilior mihi videtur eorum opinio, quae eam temporibus Carolingicis iam in more fuisse asserit. Temporibus autem priscis non publica saltet delicta, sed et priuata, v. g. parricidia hanc poenam merebantur, v. *GOLDAST. de Regn. Bohem.* Bannitus igitur ditionibus suis et Regalibus per sententiam priuatur, et a consortio Imperii Rom. Germanici excluditur, atque persona eiusuis laesioni exponitur, vid. *LVDWIG ad A. B. T. I. p. 94 sq.* Quod tamen hodie de capture saltet intelligendum esse existimo. Poena pecuniaria adhuc obtinet, si mandatis et inhibitionibus Caesaris non parant, si priuilegia Caesarea violant, et id generis alia. Locus autem tunc demum banno Imperii relinquitur, si Status Imperii relinquuntur, si Status Imperii plane erga Imperatorem et Imperium animum hostilem pro-

prodiderit, siue contra fidem et honorem Imperatoris conspirauerit, siue cum hostibus Imperii societatem iniuerit, siue internam quietem conturbauerit. Quae igitur haec tenus de delictis et poenis Principum retulimus, nobis vltiorem occasionem inquirendi in Executores, vti Ducum Circuli, poenarum impostarum suppeditant, sed praetermittere hanc tractationem aliunde satis notam consultius duximus. Hi igitur erunt modi, quibus sumnum Superioritatis Territorialis Ius extingui solet. Plura addere et temporis et instituti ratio prohibet, quare hic pedem figo, Benevoli Lectoris censuram expectans.









**ULB Halle**  
003 074 420

3



Sb.







*P. C. 55. 12*  
Publ. 5. num. 20.  
1730, 34.

DISSERTATIO IURIDICA SOLENNIS  
DE  
**MODIS FINIENDI  
SVPERIORITATEM  
TERRITORIALEM**  
Q V A M  
PRO OBTINENDIS  
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS  
ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIICIT  
**M. IOAN. HENRICVS a SEELEN.**

D. XXIX. IVN. ANNO M DCC XXX.

LIPSIAE  
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMI.

